

Letter 628: 29 November 1536, Strasbourg, Capito to Johannes Gast

The manuscript of this letter, with Capito's corrections, is in Zurich SA, E II 337, pp. 211–16.

S. Matrimonium res externa et huius saeculi est et ad cognitionem iudicis attinet, qui gladium gerit, sed accidit, ut conscientiae miseris modis impediatur per leges connubiales, siquidem parum ex aequo fixae sunt, quemadmodum re ipsa compertum est tum imperitas legendo summas, tum et ea quae in quartum Sententiarum scripta sunt saeculis superioribus. Ea nos necessitas a praedicando evangelio ad hanc politicam causam detrahit, in qua profecto invitus versor. Movit eadem necessitas D. Oecolampadium, ut curaret leges novas de matrimonio contrahendo per magistratum edici, quas moderatus est, ad vulgi iudicium, ut tum erat, et nos non potuimus conanti refragari, quorum consilio non illibenter utebatur. Est autem una in eis legibus, quae vetat coniugia invitae parentibus, sed contracta agnoscit vera esse ac legitima, nisi quod ius facit parentibus, si volent, immorigeros exhaeredandi. Id tamen lucri ex peccato tulerit inobedientiae nebulo, ut filiam dilectam obtineat in uxorem repugnantibus parentibus, indeque bona eorum similiter. Nam naturalis amor parentes non sinit esse severos ultores simplicis animi filiae suae, quo minus periculum est, ne exheredent eam. Hac lege, quae simul vetat et permittit clancularium coniugium, videtur puella, qua de questio est in fraudem venisse, quae forte putavit, sibi hilarem maritum se adepturam esse, etsi id essent agere latenti vetuli parentes, quos rudior aetas facile contempsit ex vitio humani ingenii. Adeoque videtur neque convivio insidioso, neque adolescenti proco se permisisse, nisi ope inde maritum adipiscendi.

Nos usus edocuit multarum rerum, ut essemus suasores et autores magistratui nostro, quo clancularia ista coniugia simpliciter prohiberentur. Et ea iuxta leges Caesareas clancularia esse definiremus, quae insciis illis fiant, quorum interest, ut sciant, id est, parentum, aut qui loco parentum. Ex natura eius argumentum sumitur. Est enim publicum contubernium viri et mulieris, igitur publice, ut fiat consentaneum est. Deinde contra Deum est fidere homini. Qui fidit hominibus fallitur. Maledictus qui confidit in homine.¹ Eoque clam puella libidini amatoris semitteris, quia contra verbum id facit, merito tali ignominia plectitur, est poena peccato digna. Ad haec matrimonium debet esse coniunctio ex Deo. Clam coeuntes sine Deo conveniunt, quia sine verbo eius et sine testibus, in quorum ore confirmatur sermo secundum legem. Tantum se concredit mobili amatori, pollicenti quidvis, dum expleat libidinem animi, spurca libido, non divina voluntas, eos initio copulavit.

Iudicibus igitur vestris ac vobis fratribus consulendum, ut operam detis, quo senatus suam legem corrigat in melius, ne simplices puellae spebus inanibus deceptae in discrimen tantum incidant, et ne tot miserae conscientiae afflicentur. Nam si sunt internuncii, aut si amator ipse, ut fit, largius pollicetur, immo si significationem luculentam dat ulterioris voluntatis, avent et ipsae puellae ubi oblata occasione consulere captareque maritum expetitur ob stultam credulitatem eius sexus et aetatis, mox imprudentiores iuvenes aut sacietas capit, aut novo amore priorem mutant aut meliore iudicio de rebus suis statuunt. Interim, depudicatae potiore dotis partem, florem illum virginitatis, perdiderunt, ut amplius nuptum elocari minus queant. Sed fac, ut res in vulgi sermonem non erumpat, et aliis nuptiis utrique postea involvantur, cum conscientia, quod clancularium inter ipsos coniugium verum sit, etsi per peccatum contractum, quid hic aliud fit, quam quod in papatu vidimus, nos, qui titulo eruditionis theologicae impeditis conscientiae ex professo consulubamus, nimirum ut putent, coniugium occultum esse verum, et hoc posterius coram Deo non tenere? In ministerio papistico tales cogebantur sequenti coniugio satisfacere

¹ Corr ex 'hominem'.

propter ordinem publicum, quia coniugium esse publice cognoscitur, et prius clam contractum eos obligabatui conscientia.

Quid hoc loco aliud consulas, quaeso, quampridem vulgus theologorum, quorum consilium fuit, ut agnoscerent, se obligatos ad clancularia pacta, quae praecesserant et cum consorte thori, quo cum uterque viveret, aperto matrimonio tractatu, se non habere verum matrimonium, quod ex legibus pontificum posterioribus sequebatur. Iccirco theologus ait, a posteriore discedas, si potes, contempta excommunicatione illa iniusta, sin minus poteris debitum quidem reddas corpore ceu captiva, sed animo pareas priori et vero marito, etiamsi alio similiter coniugio ille est innodatus. Posterius enim tenet iure fori, prius, quod testibus probari non potuit, iure poli, quam aiunt. Exemplo sit puella ista tua, cui iuxta legem vestram eius conscientiae maritus est, refragator ille, fac, liberetur vestra sententia et nubat alii. Nihilominus eius animus aliquando turbabitur, dum reputabit prius hoc coniugium ex promissione facta ratum esse, quod homo separare nequeat, Math. 19. Et quamvis alter refragetur, nihilominus suo iudicio ei obligata manet. Dubitabit de sententia vestra tanquam hominum. Pontifex diris suis retinisset cum secundo et simul decrevisset eam iure poli uxorem prioris indissolubiliter esse.

At ait, quo eam vos expediretis, qui discedit, discedat, soror non est servituti subiecta. Atqui locum eum plerique de parte infideli intellexerunt, nec censent licere, ut ea sententia contra favorem et constantiam matrimonii trahatur ad similes casus. Deinde quid facies si adolescens resipuerit, quo verbo eum Domini consolaberis, siquidem novo coniugio innodatus fuerit, et puella coniux similiter alio? Semper cogitabit prioris maritus es, huius quam habes, non es, nam lex id habet. Nam et vestra lex concedit illud clancularium coniugium esse, licet ex peccato institutum est contra vetationem magistratus. Profecto non video quid malagmatis certi ei vulneri addetis, tam lubrica res est conscientia. Sunt formae tales infinitae, quae quotidie possunt accidere, ut olim nos experiebamur.

Quare sic edicendum consulo. Censemus matrimonia non tenere, etsi vel testibus contracta esse probantur, quae insciis nedum invitis parentibus instituuntur, donec illi consenserint. Cum adiunctione etiam poenae et quidem non vulgaris in eos, qui id legis violarint, quae sit exigenda vel consensu parentum postea impetrato. Secundo, si clam contrahunt, qui sunt extra paternam potestatem, ut adultiores viduae et altera pars negaverit, iudex nihil pronunciet, sed sentiat congressum talem contra leges et non coniugalem fuisse. Prioris legis caussa ex dictu promptum est colligere: prima est ex natura matrimonii; est enim publico calculo comprobatum contubernium, igitur publice fiat. Ex Oeconomicis Aristotelis id augeatur; secunda, publicum nondum satis est, quod eos celatur, quorum scire cum primis referat. Iccirco Paulus iureconsultus ait: "Nuptiae consistere non possunt, nisi consentiant omnes, id est, qui coeunt quorumque in potestate sunt." Quae lex a posterioribus Caesaribus et veteribus canonibus repetitur. Nec obstat, quod Caesares tandem suas leges submiserunt pontificibus. Nam inde ea non cassabitur, quae supra auctoritatem Caesaris, aut in natura, aut in lege divina fundatur, ut praesens lex, de consensu parentum in matrimonia liberorum fundata est. Tertia, easdem nuptias clancularias etiam nunc vetant pontifices, sed una sanciant eam transgressionem legis suae legitimum constituere matrimonium. Itaque deceptam puellam impuro nebuloni in praemium addicit violati iuris, naturae divini et humanis. Quarta, natura negat esse matrimonium, quod invitis parentibus contrahitur, nam puella est sub patris potestate. Cur eam illo invito suam quilibet faceret? Amissam ovem reddunt leges Domino et filiam labore operoso educatam et haeredem intermit paternae possessionis, imo spem vitae per leges licuerit, fraude abducere et corripere ab invito in ius alterius? Pecunia mea a furibus per leges salva est, quia furtum in suspendio multat, et mea pignora charissima dolose quorumlibet libidini etiam hostili aut certe ingrati, quem generum

volo, per easdem exposita esse deberent? Quod ius, quae aequitas id suaserit? Quinta, perpetua conscientiae tormenta, dum interea poenitudine ducti, alteri alteris negant dictum, quod dictum est, de quibus supra et in summis videre est. Explica tu ipse, mi Gasti, nam extant libri. Sexta, non habet ius puella patriae potestatis aliquid rerum familiarium iuxta communes leges distrahendi et contra leges firma esse deberet traditio corporis sui ac paternae simul haereditatis. Omitto quod pessime plerumque cohaereant sic inita connubia, non quia sine iudicio coierunt desinente libidinis ardore conciliatore consuetudinis eorum vinculum protinus dilapsus est. Ita contingere fere videmus et incertissima calamitosissimaque matrimonia plurima videntur. Quod proxeneta Satana instituitur, id existit et perpetuatur fere sine Deo et Christo, eoque sine gratia et foelicitate. Es ist zwar ein beser anfang.

Secundae legis ratio est, ex cautione puellaris pudicitiae sumpta. Nam quaeque cogitaret occulta pactio, nulla omnino iudici est, nec aliud quam infamiam obsequio cupiditatis consequeris. Sic maneret integra, quamvis magnifice amator polliceretur. Quid multis? Tua illa in amplexum, spurcum illum nebulonem non admisisset, si publice constitisset, nullam pollicitationem praemissam sine parentum scientia notam diluere prostituti pudoris? Qui locus hac lege semel aedita pro concione urgendus esset vobis pastoribus ovium Christi.

De praesenti casu:

Quia lex talis nondum promulgata, iuxta positas indicandum. Extat una in vestra ordinatione cuius initium Unnd ob sich keinst zuzufügen, das ein jüngling, etc. iuxta quam puto ad absentem licet ex circumstantiis colligere pronuncianum, at ille depudicatum a se ducat. Nec verisimile est illum ad amorem sollicitasse aut etiam instituisse convivium, nisi forte moribus superioris vitae audaculam, versipellem viripetamque esse constiterit et adolescentem rudem ac simpliciore. Verum tuae literae iuvenem habere non multum frontis declarant, quia noctu in plateis musicatur, amicis excusat factum impure. Er habe mit mer döchterlin und frohlin zuschaffen gehabt, etc., et sodalem non veretur adducere ad spectaculum amoris sui, quod argumentum est non omnino in amoribus rudem esse. Sed puellam videtur spes illexisse consequendi mariti, quem se deperire illa videbat. Qua propter per vestram legem excusatur puellaris credulitas, sed et testes duo sunt quod pollicitus sit in matrimonium eam se habiturum. Una adest laena illa, quae quia patriae potestatis puellam adhibet, tam insidioso convivio indigna est, cui credatur contra duos et contra tam evidenter coniecturas, sed ut eam magistratus gravissime puniat, iuxta leges aeditas commerita est. Oportet hac in re profecto magistratum esse severum. Est in verecundum, fateor, quod iuvenem paternis aedibus illa introduxerit, et lege Dei graviter animadversum, sed culpam nonnihil mitigat, quod istum sibi maritum fore ex vestris legibus verisimiliter crediderit, quae vetere populo illis contrariae prorsus fuerant. Atqui multo inverecundus adeoque gravissime plectendum, quod iuvenis eo se proripit sine animo maritali, sed duntaxat libidinis explendae gratia. Deinde quod negat factam de matrimonio mentionem prodit vanitatem et mendacium suum. Nam cur puellam consciis aliis admisisset in amplexum, si nihil de rea constantis animi prae se tulisset. Praeterea iuvenis sibi factas insidias causari non poterit, cum negat quicquam actum de matrimonio. Quae igitur insidiae? Nam ab eo puella dedecus et infamiam ex proposito quaesivit? Est, obsecro, te tam leve facinus, stuprum virgini in domo paterno offerre? Aliud longe veteres censuissent. Leges civiles capite nebulonem virginem vitiantem plectunt, non minus atque adulterum. O mores, o leges, in quae tempora incidimus?

Summa rationum est: virgo perdidit ornamentum ac decus suam, quae in prima parte dotis nobis habetur. Nec damnum sarcire ille valet nisi nuptiis confirmatis. Quis successor corruptam et hac nota duxerit? Dabo simile de furto, quod legibus vetitum est. Si quis vestem

meam furto surripuerit et eandem reddit sed laceram foedatamque maculis, is non iudicatur reddidisse, quod abstulerat. Neque qui sutori detritos calceos redderet quos novos abstulisset, reddiderit ablatum, et vis esse debet corruptam reddere virginem liberam? Cavent leges, ut restituatur ablatum de facultatibus, cur nulla fieri compensatio debet in re tanta? Nam considerandum est, quanti aestimetur corporis integritas puellae hoc tempore et quod veteres talem pro repudiata habebant.

De lege Deuteronomii:

De lege Deuteronomii nescio quid Brentius scripserit. Non enim librum eius ad manum habeo, neque eum antehac me legere memini. Ea tamen sic habet. Si quis puellam virginem, quae non desponsa est inventam arripuerit et cubaverit cum ea et una comprehendantur, ille qui cum ea concubuerit patri det quinquaginta siclos, et ei sit in uxorem, pro eo, quod eam humiliaverit per omnem vitam nunquam eam repudio abdicet. Ex verbo *arripuerit*, תפשה, colligerunt veteres de virgine cui per vim vitium oblatum hanc legem cavere quam אנוסה, id est, coactam nominabant, de ea igitur ius erat, ut oppressor patri numeraret quinquaginta siclos argenti puri. Ea multa קנס dicta est et patri dabatur ad compensationem iniuriae suae, cuius interest, filiam suam virginem elocari. Quo vita functo ante conventum apud iudicem reum, id precii filiae debebatur. Haec poena aequalis a lege constituta est, quae respectum personatum fieri vetat. Sed iudex ex lege talionis et aequitatis ratione autorem stupri violenti adhuc poena triplici mulctabat, quae arbitraria erat iuxta circumstantias, quatenus rem aliam atqui aliam faciunt.

Prima erat בושה, id est, quae propter ignominiam et probrum puellae illatum imponebatur, cuius modus ex parentum existimatione sumebatur, honesto enim loco natae, ut pote sacerdotis filiae pudor pluris fiebat, quam eiusvis e plebe. Gravior enim iniuria est. Altera poena erat פגם, quae pro corruptione vel verius diminutione conditionis imponebatur, libera enim quae oppressa, gratia puellari amissa prope amillae etiam tam habita est, cui vitium per vim obtulisse alioqui impune Iudeorum levitati erat. Tertia צער, id est, quae ob dolorem, ubi aetatis modico corporis considerabatur. Has poenas quatuor ex templo Iudaeorum iniunxit solvendas patri virginis oppressae, quam postea uxorem habere nihilominus cogebatur, et per omnem vitam servare. Repudiandi enim ius amiserat propter vim illatam.

Hactenus de lege Deuteronomii, quae ad tuam istam nihil attinet. Non est enim coacta, quia in urbe a convivio et in aede paterna (ex bonis quod aiunt utriusque) nisi gladio intentato pavefactam metu se parvisse per testes docuerit idoneos. Quod si iudices non solum vestras constitutiones sed exemplum quoque legis divinae requirunt, lex illa ex capite 22 Exodi proponatur. Ea est: si seduxerit quispiam virginem, quae desponsata non est, et rem cum ea habuerit, dotando dotabit eam sibi in uxorem. Quod si recusaverit pater eam ei dare uxorem, argentum appendat iuxta dotem virginum. Haec fere ad verbum lex est.

Ea quadrat puellae tuae, quae libera nulliusque sponsa est et sine vi ad stuprum venit. Iccirco sensum eius accuratius excutiamus. Est autem seductio, פתוי, in errorem et fraudem, per dolum et mendacia illectio. Unde פתי homo simplex ac rudis rerum nominatur, qui quidvis credit ex vero dictum esse. Ex quo מפתה vocatur impostor ille, qui blandiciis ac vanis pollicitationibus credulam puellam sibi devinxit. Onkelos Chaldaeus per verbum ישדל vertit, quod est interprete Mose Nehaemano, voluntatem et consilium inire de re aliqua agenda. Fere est idem quod deditum occupatumque esse in opere faciundo, sic impostor qui puellam captat dat operam, ut habeat versibilem causam, eam saepius conveniendi, donec animum eius expugnaverit, quod varie contingit aut blandiciis aut pecunia aut promissione eam sibi uxorem fore. Idque aut falso aut ex vero quacunque omnino via consequitur, modo citra vim, ut ad congressum consentiat,

מפּוֹתָה, id est, decepta dicitur, et hac lege ei consulitur, ne pudore amisso ac deplorata se vulgo prostituat.

In tractatu אלו נערוֹת scribitur: si decepta puella impostori nubere aut ei uxorem dare pater noluerit, aut si ille ducere recusaverit, dabit statutam poenam et liber erat. Non enim ad ducem dum eam adigebatur, sed ei scripsit literas matrimoniales pro more virginum aliarum. Sic ibi ad verbum. In oppressore virginis alia erat ratio, nam lex ait: et accipiat eam in uxorem. Hic duntaxat et dotando dotabit eam et si pater dare noluerit, etc. Illud dotare est Eliae Orientali constituere literis dotem, si uxor facta repudiata fuerit, uti sciatur, quantum repulsae a divortio cedere debeat. Videtur autem affinius scripturae etsi non multum a priore sententia discrepat, quod Gerundensis in hunc locum scriptum reliquit. Nimirum מהר quam vocem dotem vertunt significare munuscula, quae ad sponsam maritus futurus mittere solebat, ut vestes et argentea aureaque vascula pro nuptiis apparandis, quae Talmudici alias סבלוֹנוֹת (*siblonoth*) vocant. Formata autem vox scripturae huius loci est אמהרה, id est, celeritate, quod celeriter talia dona visitare, qui vitium obtulerat cogebatur, sed post [...] ² ante patre eam illi dare uxorem supererat, ut argentum appenderet, id est, consensu veterum, quinquaginta siclos argenti puri numeraret. Liberum erat patri, item et puellae ambientem aut recusare aut admittere, איננו הגון שיהא חוטא נשכר, כי.

Nam si ex clancularia promissione aut etiam copula, ut vocant, carnali, coniugium invito patre ratum fuisset pro peccato tulisset praemium impostor, nempe uxorem cum futura haereditate soceri, ideo voluntas tam patris quam puellae etiam acceptis donariis requirebatur. Deinde liberum erat auctori stupri aut dare statutam poenam aut eam habere uxorem, qua permissione puniebatur peccatum puellae. Nam etsi per imprudentiam in fraudem venerit, non tamen omnino excusatur, sed ex parte in culpa est, quod colloquiis virorum tam facile se praebuit. Haec veterum ratio fuit in seductio.

Iam attende quorsum sint dicta omnia: Quae sic decepta sine spe matrimonii, sive pecuniae, sive alterius rei cupiditate, illecta per illam legem et observationem veterum uxor fuit, etiamsi nulla mentio coniugii facta esset, cuius, quia insciis parentibus nullum respectum fecerunt iudices, vera nihilominus per legem Dei, uxor fuit. Nam cur dotem aut donaria pro nuptiis adornandis oblato vitii mitteret; item est manifestum ex contextu scripturae, dotabit, inquit, sibi eum in uxorem, q. d. hoc nomine dona vel dotem mittat, ut sibi sit uxor et nuptias protinus adornet. Deinde, si recusabat לכנוס, id est, domum suam deducere, ut ex ritu nuptiarum etiam legibus Caesareis antiquitus fiebat, aut si pater vel puella ipsa maritum recusabat, scribebat connubiales literas et pro repudiata tam erat. Nam ea ratione honori puellae consulebatur aliqua tamen mulcta patri dabatur pro ignominia et pro imminuta forma et gratia iuxta aestimationem iudicis praeter קנס, id est, legalem poenam quia quinquaginta siclorum. Rursus ubi sponsales literae ibi desponsatis iusta est. Nam כתובה, id est, literis vel scripto certo coniugia contrahebantur. Ad ultimum adstipulatur Onkelos Chaldaeus interpres illa vertens: Dote dotabit eam sibi in uxorem ait, קיימא יקיימנה ליה לאינתו, id est, pacto eam sibi in uxorem confirmet. Ergo prius illam sibi uxorem esse, ut in se erat, profitebatur, et postea pater illam illi dare aut non dare potuit puellaque ius habuit conditionem abnuendi. Ex quo fit, ut pro repudiata habebatur, salva ac defensa existimatione וצער ובושה וקנס על כתובה וקנס ובושה וצער per literas connubiales, per poenam legis, et per precium ignominiae et diminutionis.

Quare, si receperint iudices vestri hanc legem Dei, illa illi uxor est, et eam ille esse sententia sua pronunciabunt. Nec tamen liberum illi hoc tempore fuerit eam adiudicatam recusare, sicut per legales iudices olim licuit. Nam Christus Iesus libellum repudii cassavit

² Word cut off in my copy of the manuscript.

Mathei 19. Et addidit, quos Deus coniunxit (ut hac lege et et uxu veterum tales quoque coniuncti fuissent) homo ne separet. Haec notabis. Nam coniectura videtur valde perspicua esse, puellam bonae famaē adornare convivium iuveni ac domum paternam illum abducere consciis testibus palam non sustinuisse, nisi ille prius eam ad stuprum ambiisset, et ut non pollicitus sit eam se ducturum uxorem, tamen de stupro compellatam, quibuscunque modis libidini suae obsequentem effecit, quae causa legi satis est, ut ea decepta proindeque uxor esse impostori dicatur. Spes est fore foelix coniugium promordiis asperis exuperatis. Quod si crederetur nullo modo cohaesuras nuptias, prestiterit iam per sententiam eos separasse, quam opinionem iudices aegerrime praesumant, ut iura, quod melius de quovis expectant donec, facto contrarium de re praebuerit sit expectandum. Sed, ut ratio parentum et puellae maxima habeatur et ut mulctentur gravissime ambo, iuvenis autem cum primis, utque aestimetur pudor ac decus virginale, quo maritum queat bene dotata commodiorem, reiecta ab illo invenire; alioqui aeternum probrum adhaerebit miserae, et periculum est maiorum peccatorum ob sexum et aetatem effracto et amissa pudore, vinculo pudicitiae puellaris.

Necesse est, ut sexui et aetati ad fraudem expositae, puellis inquam legibus consulatur, ne sint exercitae iuvenum libidini ceu publicatae, ut profecta quasi publice factae sunt, ut sunt mores huius saeculi, si magistratus saeveritas illis non prospexerit. Ad quod afficii vos prudenti studio calcar adhibebitis. Nec puto poenam vicina evadet, quae nocturno tempore domi suae insciis parentibus, vel ultro ambientem puellam convivio exceperit, quamvis videatur a iuvene ad hoc redempta esse, quam a lenocinio non excusat, quod vitium offerri ei domi suae non permiserit. Adiutrix enim fuisse eius facinoris haud obscure videtur. Atqui iudices ex circumstantiis et in re praesente certius statuent, qui noverint ipsorum esse, ut considerent, quantum iuris patri in suam filiam comperat legibus etiam ethnicis.

Haec mihi occupatissimo scripta sunt. Utinam tam commoda sint vestra ecclesiae, quam mihi molesta fuerunt. Adeoque erunt commodissima, si operam dabit, ut promulgetur haec lex, nuptias non esse, quae invitis aut ignorantibus parentibus instituantur. Deinde, ut supra similia graviter puniantur, utpote proscriptione temporaria, aut carcere diutino. Exempla enim saeveritatis in republica extare debent, quo tuta sit innocentia et simplicitas.

Ad postremum, velim haec germanica faceres, ut magistratus et iudices vestri de legibus tam necessariis commode possent considerare, sed et Myconium et Carolstadium oro, ut animum ad hanc rem animadvertant. Firmaretur hac ratione iurisdictio vestra, et infinitis periculis esset aditus praeclusus. Clarissimum virum D. Grynaeum vix audeo ad haec ceu humiliora invitare. Nam et mihi est plenum taedio, extra evangelium Iesu Christi multum operae atque olei impendere, quamvis involvor praeter caeteros, huiusmodi tricis plurimis. Vale. Fratres salvere iubeo omnes in Domino. Argentinae. 29 Novembris 1536.

V. Capito tuus.

Nescivi puerum tam tenerum, alioqui apud me aut Bucerum ageret, iamque in familiam docti Froschii ascriptus est ibi aget, donec Dominus aliam dederat occasionem. Dasypodio ludimagistro eum per literas eam commendabis, quo vero ad docendum hic nihil habemus magis appositum. Hunc virum tibi commendo, cuius est apud nos maturate nuntium ad Lutherum. [Address]: Domino Iohanni Gastio adiutori ecclesiae Basiliensis, sibi in Domino dilecto.